Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26007
Copyright: Admont, Benediktinerstift

districtio severitatis dei. Dives etenim iste qui vulnerato pauperi
mense sue vel minima dare noluit, in inferno positus usque
ad minima querenda pervenit. Nam guttam aque petiit
qui micas negavit. Quid quaeso est quod innuitur, quia in tormentis positus
dives linguam suam refrigerari postulat, nisi quod is qui convivan-
do magis de loquacitate peccaverat, pro retributionis iusticiam
in lingua atrocius ardebat. Sed cum gravi valde est pavore
pensandum hoc quod ei per Abraham responsione dicitur: Fili recorda-
re quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.
Hic autem consolatur, tu vero cruciaris. Ista fratres karissimi sententia
pavore potius indiget quam expositione. Nam si quis est vestrum qui
in hoc mundo exteriora bona aliquid accepistis, ipsum ut
ita dicam donum exterius pertimescere debetis, ne vobis pro quo-
rundam vestrorum actuum recompensatione sit datum, ne iudex qui
hic bona exteriora retribuit, a retributione boni intimi
repellat, ne honor hic vel divitie non adiumentum virtutis
sed ad remunerationem sit laboris. Sed vos fratres karissimi et requiem
Lazari et penam divitis cognoscentes solerter agite, culpa-
rum vestrarum intercessores querite, atque advocatos vobis pau-
peres in die iudicii procurate. Multos etenim Lazaros
habetis ante ianuas vestras iacentes, atque his indigent
que vobis iam satiatis cotidie de mensa cadunt. Verba sacre lec-
tionis vos debent instruere ad implenda mandata pie-
tatis. Cotidie Lazarum si querimus invenimus, cotidie si non
querimus cernimus. Ecce oportune se pauperes offerunt.